

alia ipsa tenetur incommodum temporalem pati ad spiritua-  
lem prolis salutem, non tantum ex generali lege charitatis,  
sed et ex singulari matris officio, cui natura pro tunc hanc  
curam ei commisit. Dixi *per se*, quia licet speculative ad hoc  
teneatur, in praxi tamen cavere debet confessarius quam  
caute, ne urgeat sub gravi matrem hac obligatione, tum ne  
consensum negando moriatur in statu peccati mortalis prop-  
ter conscientiam, et sic dum vitam spiritualem infantis sal-  
vare intendit et ipsa mater aeternaliter pereat, tum quia, si  
mater incisionem valde exhorreat, vel solus hic horror gra-  
viter proli nocere posset, tum quia demum, cum constet sae-  
pissime supervivere foetum matri, ut jam diximus, spes  
magna affulget illum, matre demortua, baptizandi, et proinde  
minor incidendi obligatio urgeat; et in hoc casu, idest  
magnae renitentiae matris ad operationem subeundam, et  
chirurgi abstinere debent propter easdem rationes (Cangiam.,  
*l. c.*, c. 5, n. 3; Gur., II, 359; Gouss., II, 84; Descur., *l. c.*,  
n. 100). *Septimo*. Numquam mater subire tenetur operatio-  
nem si, operatione omissa, ipsa sola judicetur peritura, quia  
nemo tenetur mediis extraordinariis et tamen arduis vitam  
servare (S. A., IV, 372). At, deficiente chirurgo perito, tene-  
turne confessarius vel parochus operationem caesaream effi-  
cere? Licet aliqui theologi, inter quos Cangiamila, Gobat,  
Debreyne, adstruant ad hoc teneri, attamen cum Gousset,  
Scavini et aliis bene multis sentio quod ad hoc sacerdos non  
teneatur, tum quia nullibi haec obligatio ei inscribitur, tum  
quia ejus officium est animas salvare per media suo minist-  
erio conformia, non vero per media officio sacerdotali imper-  
tinentia omnino, tum quia, hoc decencia status non videtur  
permittere, tum quia, hodie maxime, sese exponeret periculo  
inquisitionis per publicos magistratus; quod in praxi tenen-  
dum omnino (Gouss., II, 83; Scav., IV, 297; del Vech., II,  
465). Quinimo prorsus se abstinere debet parochus, deficien-  
te chirurgo perito, ab excitanda quacumque alia persona  
quae chirurgiam non calleat, ad hanc operationem facien-  
dam, tum quia, si quid judico, raro hoc bene cederet, tum  
propter supra dictas leges seu observantias civiles, quae  
hodie vigent; eo vel magis quod, paucis adhinc annis, paro-

chus subalpinus propter hoc a publicis magistratibus inqui-  
situs fuerit; et licet ille absolutionem ab accusatione obti-  
nuerit, hodie tamen, aliis vigentibus legibus, difficile dam-  
nationem evasurus quis esset, ut videre est in ephemer.  
*Apologista di Torino*, n. 10, an. 1865 (*v. Rivar., l. c.*, n. 23).  
Dicendum ergo quod confessarius vel parochus satis super-  
que suae facit obligationi, si cognito periculo proximo  
mortis alicujus mulieris foetum gestantis, moneat suadeat-  
que ut supra: quo monito, rem totam Deo committat.

5.<sup>a</sup> Estne licita operatio chirurgica a Porro nuncupata?  
Haec, a medico Porro ex civitate Papiae excogitata, in eo  
consistit quod, post operationem caesaream, auferatur per  
aliam operationem immediatam et caetera organa  
adnexa, et sic impediatur haemorrhagiae et caetera hujus-  
modi, quae pro tunc periculum grave constituunt; unde  
haec operatio est quaedam castratio mulieris. Hoc posito,  
vel haec operatio, iudicio medicorum, es necessaria ad sal-  
vandam matrem ob caesaream operationem periclitantem,  
vel fit tantum ut in futurum nova impediatur praegnatio ad  
novum periculum vitandum. Si primum, meo iudicio, ope-  
ratio licita est, quia, ex D. Th., 2, 2, q. 65, a. 1, *membrum  
humani corporis est propter totum; unde licitum est membrum  
praescindere propter salutem totius corporis*: et per accidens se  
habet quod mulier per hanc abscissionem fiat in posterum  
conceptioni inepta, deficiente utero, et proinde semen frus-  
tretur per copulam effusum in vaginam; ex quo patet ratio  
sequentis responsi. Proposito enim dubio *Num mulier, cui  
operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti  
possit ad matrimonium contrahendum?* S. U. I. die 23 jul. 1890,  
respondit: *Matrimonium non esse impediendum* (*Mon. Eccl.*,  
VIII, 2, p. 78); et ratio est quia, licet sit inepta conceptioni,  
potens est tamen ad matrimonium consummandum. Si se-  
cundum, est prorsus illicita reputanda propter duo. Primo,  
quia membrum non potest abscindi propter corporalem  
salutem totius, nisi sit totius corporis corruptivum, vel  
aliter toti subveniri non possit (D. Th., *l. c.*); porro uterus  
nullatenus dici potest corporis corruptivus propter novam  
praegnationem, cum ipse nihil prae se ferat nocivi nec dam-

num ullum necessario afferet corpori; sed novum periculum nova praegnatio seu melius novus afferet coitus; et aliunde novo periculo praegnationis subveniri potest per remedium continentiae, cum alter alteri non tenentur reddere cum gravi periculo vitae aut sanitatis. Secundo, quia illicitum est ex theologis velle directe impedire naturam a generatione et semen frustrare per copulam effusum in vaginam, cum hoc sit contra finem coitus. Nec dicas, ut bene advertit Eschbach, quod matrimonium sit etiam in remedium concupiscentia, quia hic finis, cum sit tantum secundarius, non potest excludere finem primum, nempe prolis susceptionem (*Pr. III*). Ergo operatio est illicita in hoc casu.

6.<sup>a</sup> Num et quando liceat abortum (ab *aborior*) procurare? Praenotandum est, *primo*, communionem apud physiologos sententiam hodie pro certo habere nullum dari foetum inanimatum, *cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis vel saltem post aliquos dies anima informetur*, prout jam inde ab aetate sua escribebat S. A., 124; ita ut C. Ap. Sedis excommunicationem tulerit simpliciter in *Procurantes abortum, effectu sequuto*, omitta foetum inanimatum inter et animatum distinctione; *secundo*, abortum seu partus accelerationem intendi posse *directe in se* aliquid efficiendo ad foetum expellendum, vel *indirecte tantum* remedium scilicet adhibendo directe ad morbum expellendum, etsi indirecte expulsio foetus utcumque sequatur; *tertio*, abortum duplici modo fieri posse, nempe: vel per causas quae positive foetum laedunt, uti foret ejus vulneratio ope instrumenti ei inflicta adhuc in utero latenti, aut matris violenta percussio seu compressio; vel per causas quae foetum quidem positive non laedunt, efficiunt tamen quod acceleratio partus sequatur cum proximo foetus vitae periculo, prouti esset fibrarum relaxatio, qua fit ut foetus suo pondere pressus praemature nascatur, aut scissio ope instrumenti membranae, qua foetus clauditur, ita ut ibi amplius vivere non possit, sed necessario ejiciatur propter deficientiam humoris in quo natat; *quarto*, partus accelerationem contingere posse vel ob solam temporalem matris vitam servandam, vel ob spiritualem prolis per baptismum salutem

curandam, vel ob utrumque simul. His praehabitis, respondetur, *primo*, quod non licet expellere directe foetum quamvis inanimatum (si daretur), quia proxime vita hominis impeditur; *secundo*, quod nullatenus licet promovere partus accelerationem per causas, quae positive foetum laedunt, quia hoc esset directe foetum perimere; *tertio*, quod nec licet adhibere remedium ad morbum expellendum, ex quo *certo* (nota) mors prolis sequatur absque baptismo, etiamsi alias certa sit mors matris si a remedio absteineat, quando spes rationabilis affulget quod, mortua matre, proles baptizari possit, quia nemini licet, ad tuendam suam vitam temporalem, positive exponere aeternam salutem proximi in necessitate constituti (S. A., IV, 394, *qu. 2*); *quarto*, quod etiam licet remedium sumere ad morbum expellendum, quando dubitatur de salute matris et prolis, id est, quando dubitatur quod, pereunte matre remedio non adhibito, proles supervivere possit et baptizari, quia ex ordine charitatis mater et in hoc casu tenetur suae vitae temporali spiritualem prolis vitam praeferre; nisi (nota exceptionem) aequale sit periculum abortus sive medicina sumatur sive non, quia tunc sine majore foetus periculo consulitur juxta vitae matris (S. A., *l. c.*; Ball. ad G., I, 402); *quinto*, quod e contra (si morbus est mortalis) licet matri sumere remedium, si nulla spes rationabilis adsit de vita prolis post mortem matris, ita ut possit illa ad gratiam baptismi deduci, licet ex sumptione remedii per accidens abortus sequatur, quia non videtur charitas ad hoc obligare matrem ob remotissimam spem vitae prolis (1); *sexto*, quod si mater gravi mortis periculo laboret nisi partus ope medicinae acceleretur, et probabile sit ut per hoc foetus vivus in lucem prodeat, ac ita salutem vitam aeternam adepturus sit, tunc ejusmodi expulsio licita est, ne dicam praecepta, etiamsi forte (advertente animo) mors prolis paululum acceleretur; quia ex una parte matris periculum nihil prodesset vitae temporali prolis, quam vitam ipsa non tenetur ex dictis cum tanto discrimine

(1) Cangiam., *l. c.*, 3; S. A., IV, 394, *qu. 2*. In quo casu bene ajunt Salmant. ap. S. A. non esse medicos scrupolose agendos quoad pharmaca praestanda matribus. Ball. ad G., I, 402.

ulterius conservare, et ex alia parte eo casu potest negligi parva illa vitae jactura, ut infans vitam aeternam consequatur, ut dicit S. A., 106; *septimo*, quod si ex vi morbi probabile sit periculum abortus et quod per hoc proles in utero moriatur licitum est partum per medicinas accelerare, si probabiliter proles in lucem viva prodeat ut baptismum recipere queat, quia incerta vitae temporalis spes non videtur praeferenda probabiliori spei salutis aeternae, ut dictum est in casu praecedenti (Ball. ad G., I, 402); *octavo*, quod in praxi tamen, posito periculo gravi matris, raro cogenda est a remediis abstinere sub gravi, etiamsi illa existimentur plus minusve positive ad abortum concurrere, tum quia saepe saepius aliter foetui subveniri potest, tum quia raro certum esse potest remedia foetui graviter nociva esse, exceptis quae directe impetunt in eum, tum quia et maxime si, hoc non obstante, remedium sumat, et gravius peccabit propter conscientiam, et forte etiam morietur in peccato mortali (Cangiam., l. 1, c. 3); *nono*, quod matres tenentur causas abortus praevenire seu impedire, quoad eas attinet, maxime in principio, prope finem tertii mensis et in maturitate gestationis, ut medici dicunt; quales praecipue sunt immersio corporis aut membrorum in frigidissima aqua, violentae medicinae seu purgationes, incisio venae seu sanguinis emissio maxime pedes versus, saltationes violentae vel immoderatae, equitatio aut iter in curru male suspenso, vel per vias asperas seu male stratas, ipsaeque vectiones in via ferrea, praesertim longiores, propter continuas concussiones (1), labores graves et defatigationes immodicae, lotiones seu lavationes irritantes, lapsus proni in terram, repentini ictus aeris frigidi, chorea et praecipue waltzer, sanguinem vel maxime excitans et quaquaversus periculosior, excessus in potando liquore spirituofo, qui fere semper male cedunt, usue machinarum ad suendum quae pedibus moventur (con-

(1) Ex hoc minime probanda, imo damnanda, consuetudo longiorum itinerum nuptialium (*viaggi di nozze*), quia abortus universim primis a conceptione temporibus eveniunt; eo vel magis quia in hujusmodi itineribus facili ratione multipliciter afficiuntur juniores sponsae, vel propter spectacula quibus assistunt, vel propter conversationes excitantes, vel propter occursum eas plus minusve moventes.

sulantur quae manu moventur), abstinencia a cibis vel portionibus quorum appetitum (*voglie*) phantasia excitaverit, immoderata jejunia, praesentia in iis locis ubi de facili affici vel commoveri possunt, uti in theatris, in ferarum catabulo, in magno hominum concursu et alia id genus, brachiorum motiones ad aquam hauriendam, conatus ad sarcinas erigendas, hirudinum admotio maxime partes inferiores versus vel prope, nimia vestium constrictio praesertim muliebris thoracis, violenta sternutationum evocatio, vomitiones praecipue per media, ut aiunt, emetica excitatae, magna irae aestuatio, violenti clamores seu vociferationes, chachinationes immoderatae, nimia laetitiae effusio, percussiones a marito vel ab aliis perlatae; et generatim ea omnia summa cura evitare tenentur, quae sanguinem ad extrema membra propellere possent, physica vel moralia ea demum sint, ut physiologi et medici adstruunt (Descuret, *Meraviglie ecc.*, della trasmis. della vita, n. 70-76, 81-87); quae omnia hic adnotare curavi ad confessoriorum vel parochorum utilitatem, ut quae opportuna interdum danda sint consilia non ignoret omnino, prout praxis saepius exposcit. Accidit enim non raro quod foeminae, maxime juniores, dubiis vel scrupulis exagitatae, interrogent quid eis tempore graviditatis liceat facere necne absque foetus laesione; et e converso quod saepe, data occasione, increpandae sint mulieres, praesertim rusticanae, eo quod non sufficienter se abstineant ab immoderatis laboribus. Quae vero ex fornicatione gravidae confitentur, caute licet ac prudenter, interdum interrogandae tamen sunt de abortu desiderato vel tentato, necnon de mediis ad hoc adhibitis, ac de voluntariis, puta, vel compressionibus vel lotionibus vel defatigationibus nocivis, quae absque intermediis adhiberi possunt; quod summopere timendum de puellis vel foeminis coeteroquin honestis ex publica fama, quae incaute aut ex dolo peccato annuerunt. Nec omittendae interdum sunt hujusmodi interrogationes amasiis qui sunt fornicati, maxime si honorabiles sint, quia saepe abortum consulunt ad infamiam vel rixas vel jurgia vitanda. Quoad vero excommunicationem in procurantes abortum vide *Commentario*, C. IV, § 2.

7.<sup>a</sup> Quid agendum confessario qui ex confessione puellae graviter infirmae deprehendit esse, insciis omnibus, illegittime gravidam? Certum est obligatam esse puellam ad manifestandam suam praegnationem, ut post mortem consulatur debito modo aeternae prolis saluti, citra omnem dubitationem cuicumque matris infamiae praeponderanti, et eam posse, hoc fine nunquam praetermisso, aptiori quo putat modo, suae famae et honori consulere. Quibus positis dico: *primo*, nunquam suscipiat in se confessarius onus rem post mortem revelandi ne in violati sigilli suspicionem deveniat, maxime cum agatur de re valde odiosa propinquis et notis puellae; *secundo*, ipsi puellae consulat ne secretum suum committat patri vel matri aut aliis de cognatione sua, vel personae minus religiosae, ne isti mundanis indulgendo judiciis, manifestationem nauci faciant; *tertio*, jubeat ergo ut secretum probae et, quoad fieri potest, religiosae personae committat, ut post mortem rem aperiat; quod vel viva voce vel scripto puella facere potest; *quarto*, si puella nullo modo suae velit obligationi facere satis, eam indispositam judicet, et non absolvat (*v. Cangiam.*, lib. 2, c. 1; Eschbach, *l. c.*, disp. 2, c. 4, a. 3).

8.<sup>a</sup> Estne licita embryotomia? Ante resolutionem notandum, *quod* embryotomia seu craniotomia in eo consistit, quod, cum foetus nullo modo ejici possit, antea per instrumentum vivus discerpatur, et postea per forcipem extrahatur, ne mater certo pereat, quia, aiunt, matri omnino est subveniendum et ejus certa vita vitae incertae foetus praeferranda; *quod* embryotomia considerari potest in triplici casu seu hypothese, nempe: vel cum certo consuli potest vitae infantis et probabiliter etiam vitae matris per operationem caesaream; vel quando operatio caesarea est impossibilis, et spes adhuc aliqua probabiliter remanet salvandi matrem, ubi expectetur mors naturalis foetus; vel cum in ipsamet embryotomia unicum adest remedium, quo probabiliter vitae matris consuli potest. His positis dico: *primo*, ubi per operationem caesaream certo vitae infantis et probabiliter etiam vitae matris consuli potest, est prorsus illicita embryotomia, quia ut patet, potius adhibendum est medium

quo duplici vitae probabiliter subveniatur, quam uni tantum consulatur, altera certo pereunte; *secundo*, illicita item est cum, expectata foetus morte naturali in utero matris, spes adhuc aliqua probabiliter remanet ipsam matrem salvandi, quia hoc esset prorsus inutile, ut patet et omnes fateri debent; *tertio*, item illicita prorsus habenda est etiam in casu, quo in ea unicum sistat remedium, quo probabiliter vitae matri consuli possit; et in hoc praecise (nota) consistit potior controversiae cardo inter theologiam et medicinam hodiernam exagitatae. Me quidem non latet nonnullos, vel potius aliquos tantum extitisse theologos modernos, qui speciosis quibusdam medicorum effatibus ducti conati sunt, recta quidem intentione non pari vero, nisi quid me fallit, ponderatione, embryotomiam prorsus licitam esse et omni foeditate homicidii expertem demonstrare, sed citra dubitationem oleum et operam perdiderunt (1), ut ex sequentibus patet. Et prima atque fundamentalis ratio ab omnibus theologis communiter, fatente Avanzini (*Act. S. Sed. VIII. Quaest. de craniotom., etc.*), admissa, est quia *nunquam* licitum est ejusdem foetus saltem animati directam occisionem ad salvandam matrem procurare, ut de abortu jam disseruimus; est enim intrinsece malum cum sit verum homicidium, quid amplius? Neque dicas occisionem infantis per embryotomiam esse tantum indirectam, quod falsum omnino. Ut licite possis, recte adstruit Ballerini ad G., I, 403, causam ponere mortis, oportet ut occisionem neque ut *finem* (nota)

(1) Perpaucis theolog. embryotomiam propugnantibus adstipulantur Petrus Avanzini, Steph. Apicella y Daniel Viscosi, doctissimi quidem omnes, sed fortassis quam par sit subtiliores. Contra Apicella opusculum, brevem quidem sed valde urgentem evulgavit confutationem Cl. P. A. Exchbac, rector seminarii gallici Romae, et cui titulus italice: *L'Embriotomia sotto il punto di vista teologico e morale*. Sententiam ab Avanzini olim propugnatam nervose refutavit cl. Pacificus Ciarmatori in opusculo: *Sulla questione morale promossa dal ch. P. Avanzini intorno alla craniotomia*. Dissert., 1874. Item craniotomiam perbelle oppugnavit ephemeris *L'Apologista di Mondovi* in duplici artic. 30 y 31 Jul. 1874 contra thesim Avanzini; nec non *Academia theologiae moralis* cleri Romani, die 25 Aprilis 1876, respondendo unanimiter *negative* ad dubium: *An sententia, quae occidere infantem licere docet ad servandam matrem quando ambo sint perituri, sustineri possit*, prout refert Eschbach, *opusc. cit.*

intendas, neque assumas *ut medium ad alium finem* (nota item), quia utroque modo directe eam velles; sed tantum indirecte eam inferas, ponendo scilicet causam ipsiusmet mortis, non propter conjunctionem, quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter conjunctionem, quam habet *aeque immediatam* cum alio affectu; atqui per embryotomiam occisio infantis intenditur ut medium ad alium finem, scilicet ad salvandam matrem; ergo est occisio directa. Re quidem vera embryotomia in hoc precise consistit, ut jam dixi, quod primo foetus occidatur duobus potissimis modis, scilicet, vel per decollationem infantis vel per craniotomiam seu transfixionem, ejus capitis, et deinde per forcipem extrahatur ad matrem salvandam; ex quo patet manifeste quod occisio infantis directe assumatur per se, ut *medium* (nota) ad salvandam matrem. Occisio indirecta innocentis, ut ait D. Thomas, tunc solum habetur quando *unius actus* (advertente animo) sunt duo effectus, quorum alter solum sit in intentione (directe), alter vero praeter intentionem, cum sit per accidens (indirecte); atqui per embryotomiam *primo ictu* (nota) occiditur directe infans, quin per hoc levamen aliquod afferatur matri (quod sedulo considerandum est), et dein extrahitur per forcipem cadaver, ex qua solum educatione vita matris salvatur. Unde iterum manifestum est, quod occisio innocentis est in hoc casu directa, et per se tamquam medium, licet mediatum (nam immediatum est eductio cadaveris) ad salvandam matrem; ergo est prorsus illicita. Quodnam, quaeso, discrimen inter directam procurationem abortus saltem animati, et occisionem infantis in sinu matris? Hoc discrimen forsitan constituendum est in modo diverso occisionis? quisnam hoc affirmare audebit? Demum haec habeto: si licet enecare foetum in ventre matris, quando ob difficultatem partus existimandum est necessarium ad vitam matris, utpote praestantior, salvandam, cur non licebit matri ipsi vel alii ipsum foetum item occidere at vitam genitricis salvandam, quando credi potest quod vel maritus vel alius occisurus sit foeminam ex adulterio vel ex fornicatione praegnantem? Hoc tamen impetit prop. 34, ab Innoc. XI damnatum:

*Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* Quid amplius desideramus probationes? Efficacia harum rationum comminuit omnes cavillationes, quas magno verborum apparatu embryotomistae effutiunt, tum de excogitata infantis aggressionem, tum de effincta jurium, ut ajunt, collisione, tum de futilitatibus quibusdam aliis, quas praetendunt. Et primo, ajunt, vitae agressorem occidere certo licet, cum aliter aggressio repelli nequit; atqui cum foetum nullo modo elicere mater potest, verus agressor ille est vitae matris; ergo occidere licet. Nego prorsus minorem: *quia* in casu non est aggressio: aggressio enim est actio, non passio, quod esset contradictorium; atqui infans est mere passivus, tum in sua existentia seu conceptione cui est prorsus extraneus, tum in suo statu praesenti quia *est a natura coactus, cujus auctor est Deus*, ut jam dixit Cangiamila (lib. 1, c. 3 et 4); *quia* dato et non concessio quod esset aggressor (verba cavillando) non esset vero aggressor *injustus*, tum quia est coactus, ut dixi jam, et coactio expedit injustitiam ex parte coacti, tum quia juxta utitur jure suo ad vitam plane evolvendam et acquirendam, juxta naturae leges, quas ipse iterum coacte subit; *quia* potius mater est aggressor in infantis, tum quia ipsa dedit ei vitam juxta leges, quas praeterite non licet foetui, tum quia mater ipsa est quae, ut plurimum, ne dicam semper, physice impedimentum ponit ad felicem egressionem infantis, vel propter arctitudinem vel propter aliam causam, interdum etiam ex delicto proveniente (v. S. Antonin., p. 3, tit. 7, c. 2, § 2; Sanch., *matr.* IX, d. 20). Neque dicas aliquos veteres theologos in foetu sic enascente agressorem censuisse matris, et ideo posse etiam directa intentione expelli, quia ipsi loquuntur de foetu, juxta veterum distinctionem, *inanimato*; quem veluti simpliciter partem viscerum considerabant, nunquam vero (nota) de foetu animato, quem directe occidere nefas esse omnes et semper admiserunt (v. S. Antonin. et Sanch., *ll. cc.*). Caeterum communis theologorum sententia dixit semper prorsus illicitam esse directam expulsionem foetus tum animati tum inanimati. Ergo ex argumento aggressionis licita evadere nequit embryotomia. Valde autem

lepidum est quod Avanzini (*v. Acta, l. c.*) dicit ad suam thesim propugnandam; infantem scilicet in casu nostro *jus vitae* perdidisse, et solum ei superesse jus eligendi (nota cavillam) modum moriendi, jus, ut ait, vel eligendi modum, quo simul cum ipso mater moriatur, vel modum quo ipse solus, matre exempta, mortem incurrat, cum per hoc, subdit, ejus conditio pejor non evadat. Sed manifestam aberrationem hic nemo non videt et gratuitam assertionem. Cur vel ex quo infans jus perdidit vitae? Non ex injusta aggressionem, ut vidimus: ergo? Jus habet, ajunt, eligendi modum mortis: at, sodes, habetne *jus* quod directe occidatur? Huc demum redit quaestio: sed quis hoc feret unquam? Aliud argumentum pro embryotomia ex conflictu, ut ajunt, jurium (*collisione dei diritti*) eruitur, et sic proceditur. In casu nostro adest collisio jurium vitae matris et filii; atqui in conflictu quaquaversus jus praevallet matris, eo vel magis quod infans in praesenti statu jus vitae perdidit; ergo foetus enecari potest ad salvandam matrem. Respondeo negando minorem; *quia* falsum est, ut jam dixi, et prorsus gratis assertum quod filius perdidit jus vitae; *quia* jus matris non praevallet nec in ratione individui humani, cum ut sic individuum filii et individuum matris aequalitate naturae et jurium gaudeant, nec in ratione maternitatis, cum relatio maternitatis, reduplicative ut talis, non dicat (nisi gratis asseratur) praevalentiam vitae ipsiusmet matris, cum ambae vitae sint relativae, nec in ratione majoris et praestantioris connexionis, ut ajunt, vitae matris cum ordine naturae, quatenus ipsa altiorem locum occupat in ipso naturae ordine, quia primum haec praestantia esset quid accidentale et juri vitae individui humani accessorium, quia secundo haec praestantia ex officio matris in societate ei conferre non potest jus adimendi vitam filio nascituro, cum nasciturus habeatur pro nato, quia tertio haec praestantia vitae matris, ut supponitur, falsa est saltem in sua generalitate, cum fieri possit quod vita filii nascituri sit vel propter dignitatem, vel propter censum, vel propter continuationem familiae praestantioris conditionis, ut sic, vitae matris. Ergo etiam ex hoc capite embryotomia corrui omnino. Caeterum si licita admittatur, cur non pro-

baretur etiam in decursu et maxime in principio gestationis, quando praevideri probabiliter potest foetum non nasciturum absque gravi periculo matris? cur ergo, dicam, non admitteretur abortus arte medica procuratum? At quorsum haec? Satis est (1). His positis, quid agendum in praxi est confessario vel parochi relate ad embryotomiam, tum quoad chirurgos, tum quoad matrem vel alios de ea tractantes? Respondeo. Si interrogatus non sit, in bona fide relinquere potest et chirurgos, et maxime matrem ipsam aliosque quoscumque, tum quia non oportet sacerdotem non interrogatum se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere, tum quia, ut alias, nihil proderit in se sua sponte mortis matris suscipere odium, tum ne mater, si non acquiescat suo consilio, cum supponatur in bona fide, peccet graviter et forsitan exponatur periculo in peccato moriendi. Si a chirurgo sit interrogatur quid sibi liceat, aperte ei dicat se nescire quomodo absque culpa foetum enecari possit, seu, quod idem est, embryotomiam directe peractam esse illicitam. Si a matre sit interrogatus, quid sibi faciendum sit, vel ei aperte dicat eam non posse velle embryotomiam, vel saltem moneat chirurgum orare, ut ita vitae propriae consulat, quin aliquid faciat vitae foetus contrarium (Kenrinke, ap. Scav., II, 654). Et haec quidem scripseram jam inde a prima editione hujus operis. Nunc autem *Roma locuta est, causa finita est*. Cum enim Archiep. lugdunensis S. U. Inquis. proposuerit dubium: *An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam Craniotomiam appellant, quando scilicet, ea ommissa, mater et filius perituri sunt; ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte*; S. C., omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta sunt, die 21 maii anni 1884, respondit: *Tuto doceri non posse*. Ex quo patet quod; si tuto doceri non potest licitam esse craniotomiam,

(1) En doctrina, quam ex embryotomia eruere student plurimi recentiores medici, et quam in scholis medicinae Athenaei Galliarum publice docent, nempe: *que con tal que conste que la madre ó el niño no podrán soportar un parto prematuro, no es punto contrario á la ley moral ó civil el producir el aborto lo más pronto posible*. Credis hoc? Vid. in laud. op. Eschbach, p. 53-54.

ipsamet doctrina craniotomiae non est tuta; atqui doctrina ex iudicio Ecclesiae non tuta non potest esse probabilis; ergo doctrina craniotomiae probabilitate caret. Quod firmatur et aliis S. U. I. responsis, tum illo scilicet diei 19 aug. 1889, quo eandem doctrinam omnino asseruit, tum illo 25 iulii 1895, quo rescripsit archiepiscopo Cameracensi non posse medicum procurare foetus ejectionem ad salvandam matrem a certa et imminente morte, etiamsi lethalis morbi alia non subeat causa praeter ipsam praegnationem, et etiamsi (nota) utatur mediis, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus ut foetum in materno sinu occideret, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem eaderet, quamvis proxime moriturus, utpote immaturus omnino (*Mon. Eccl.*, IX, p. 1, pág. 221).

9.<sup>a</sup> Estne licita clitoridectomia, seu amputatio clitoridis in foeminis? Affirmative, quia clitoris merum organum voluptatis videtur esse, quod, nullo physiologo dissentiente, nihil confert ad generationem. Haec amputatio interdum a medicis affecta est, ut apud foeminas, coeteris remediis nihil facientibus, sedarent intrinsecam excitationem ad masturbationem (Eschbach, *l. c.*, disp. 4, c. 4, a. 2).

#### § XIV. DIRECCIÓN DE LOS PADRES DE FAMILIA

112. Principios. — I. Los padres deben á sus hijos, aun á los ilegítimos (naturales ó espúreos), *amor sincero*, esto es, no tan sólo no quererles mal, sino positivamente querer su bien; *amor ordenado*, esto es, ni excesivo, dándoles gusto aún en lo que no deben, ni deficiente en lo que se les debe, ni parcial, prefiriendo sin justo motivo unos hijos á los otros; *amor efectivo*, en cumplimiento de su deber, como vamos á explanar.

II. El amor efectivo exige que provean á los hijos en *cuanto* al ser natural, teniendo cuidado de su vida, suministrándoles alimentación, vestido, habitación y demás, en cualquiera edad en que tengan necesidad de ello, emanando todo esto del derecho natural, por razón de la generación; en *cuanto* al ser espiritual, dándoles instrucción religiosa,

corrigiéndoles sus defectos, edificándoles con su ejemplo; en *cuanto* al ser civil, poniéndoles en un estado de vida conforme á su condición, proveyendo á esto con los medios oportunos, como instruirlos para ejercer una profesión adecuada, dotarlos convenientemente y otros semejantes (*Código Civil esp.*, a. 155).

113. Conclusiones. — 1.<sup>a</sup> Pecan más ó menos contra la piedad los padres que seriamente maldicen á sus hijos, cualquiera que sea la ocasión; si los apostrofan con palabras injuriosas; si manifiestan, sin motivo suficiente, sus pecados ó delitos ocultos; si las madres al hallarse encinta hacen algo que traiga peligro de aborto, como se ha dicho; si retardan el hacerlos bautizar, estando la vida de los recién nacidos expuesta á tantos peligros; si (cuando la madre no puede) no les procuran una buena nodriza; si cuando pequeños no les guardan de los peligros, especialmente de tenerlos en la propia cama sin cautela conveniente; si por negligencia, ó, más todavía, por prodigalidad no cuidan de mantenerles ó les obligan á mendigar (S. A., IV, 336; Scav., I, 539-44; Berard., *Prax.*, 979); si no les enseñan las oraciones del cristiano y las cosas principales de la doctrina cristiana, cuando menos por medio de otro; si dejan pasar el tiempo oportuno de corregirles, ó bien lo hacen blasfemando, con imprecaciones, con castigos inmoderados ó por desahogo de su cólera; si les escandalizan con obras ó con palabras, mayormente hablando mal, frecuentando tabernas, malas compañías, relaciones sospechosas y demás.

2.<sup>a</sup> Si bien los padres deben vigilar sobre el estado que han de tomar sus hijos, aconsejándoles oportunamente é ilustrándoles, sin embargo, siendo del todo libres en la elección de estado, pecarán gravemente constriñéndoles aún indirectamente, con amenazas ó por medio de otra persona, á abrazar un estado de vida perpetuo, ó bien retrayéndoles de él injustamente, aunque lo hiciesen sin abierta violencia, porque esto es contrario á un tiempo á la piedad y á la caridad, impidiendo su bien (2, 2, q. 104, a. 5; S. A., IV, 335). Se han de excusar fácilmente, empero, de pecado grave, muchos padres que retraen á sus hijos de tomar estado reli-